Lichenum species et varietates novae,

auctore Dr. J. Müller.

(Schluss.)

Insuper nuperrime sequentes mihi innotuerunt:

45. *Gyrophora polyphylla* v. *plicata* Müll. Arg. Thallus monophyllus, modice lobato-divisus, diametro 1—2 cm. aequans, madefactus supra obscure olivaceus, flaccido-membranaceus, siccus rigidus et supra subfusco-nigricans, centro (ut in *G. proboscidea*) nonnihil cinerascens, fere usque ad marginem dense et alte obtuseque rugoso-plicatus, subtus autem laevis et siccus madidusque aterrimus, margine tamen pallidior.

Juxta *Gyrophoram heteroideam δ corrugatam* Ach. Lich. Univ. p. 219 locanda est, a qua colore paginae superioris et rugis altis valde evolutis distincta est. Varietas est insignis et distinctissima.

Habitat in saxis siderolithicis montis Salève cum *G. polyphylla* v. *glabra*.

46. *Lecanora Agardhianoides* v. *subdelibuta* Müll. Arg. Thallus tenuis, pallide ochraceus v. saepius argillaceus, vage effusus. Apothecia $\frac{5-6}{20}$ mm. tantum lata, omnino in saxi alveolis immersa, demum emergentia, juniora tota intense caesio-pruinosa, crasse et obtuse marginata, concava, demum plana v. planiuscula et margine vix prominente cincta, demum ex parte quoad marginem v. rarius undique epruinosa, madefacta caesio-fusca, haud turgescentia.

Quoad habitum valde similis *Lecanorae delibutae* Müll. Arg., i. e. *Lecideae delibutae* Ach. Syn. p. 31, Schaer. Enum. p. 117 (fide specim. Schleich. et descript. auctor.), et apothecia juniora utriusque, thallo plane congruente, extus neutiquam distinguenda, sed evoluta in *L. delibuta* margine albido, disco denudato autem fusco (ut in *Rinodina teichophila*) et madefacto statim turgescente et dein epithecio fusco nec viridi facile distinguuntur. Apothecia paulo minora quam in varr. a cl. Mass. Symm. p. 17—19 editis et thallus pallide ochraceo-argillaceus. Sporae 9—13 μ. longae, $4^1/_2$—$5^1/_2$ μ. latae. — Lamina K non mutatur.

Habitat ad lapides calcareos secus viam inter Sembrancher et vicum La Garde, Vallesiae inferioris, oco calidissimo.

47. *Rinodina Bischoffii* v. *leucomelas* Müll. Arg. Thallus albus v. subniveus, tenuis, farinosus v. omnino cum calce conferruminatus, orbillas diametro circ. 4—15 mm. aequantes formans v. hinc inde subnullus. Apothecia $\frac{3-5}{10}$ mm. lata, valde juvenilia

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0536-6

margine thallode albido-fusco cincta, mox immarginata, sessilia, dein plano-convexa, tota nigra, madefacta nigro-fusca.

Varietas distinctissima et primo intuitu speciem propriam simulans, sc. *Rinodinae Bischoffii* formis variis et thalli colore et apotheciis minoribus nigris valde dissimilis est, sed structura partium internarum cum specie bene convenit.

Habitat ad parietes rupium calcarearum montis Salève prope La Grande Gorge, cum *Placodio cretaceo* Müll. Arg. et *Manzonia Cantuana* Garovagl.

48. *Lecidea rupestris* v. *areolata* Müll. Arg. Thallus tartareus, laevigatus, areolato-rimosus, glauco-virens v. dein glauco-cinerascens et magis furfuraceus; apothecia $\frac{2-5}{10}$ mm. lata, innato-sessilia, basi saepe cum thalloquasi confluentia, immarginata v. juvenilia obsolete marginata, aurantiaco-fulva.

Hic pertinet *Biatora rupestris* ß *viridi-flavescens* Hepp Fl. Eur. n. 275 excl. omnib. syn. (specimina minus evoluta).

Habitat ad saxa varia, hinc inde submersa, ad ripas fluv. Sihl prope Zürich (Dr. Hepp l. c.), ad lacum Lemanum prope Chambésy, et ad ripas fl. Arve prope Genevam, ubi eam simul ad radices denudatas Alnorum et Populorum pulchre legi.

49. *Lecidea* (sect. *Eulecidea*) *siderolithica* Müll. Arg. Thallus tenuiter tartareus, diffracto-areolatus, obscure cinereus v. cinereus, saepe subobsoletus v. ad areolas dispersas reductus; protothallus indistinctus. Apothecia $\frac{2-5}{10}$ mm. lata, numerosissima, conferta, saepe mutua pressione angulosa, sessilia, crassiuscula, primum crasse involuto-marginata, mox magis aperta et tenuius marginata, margine semper prominente atro cincta, opaca; discus semper planus, pruina nigro-cinerascente velatus, siccus madidusque caeterum ater, intus concolor. Lamina circ. 70—75 μ. alta junior virens v. fusco-virens, demum incolor; epithecium olivaceo-nigricans; hypothecium fusco-atrum. Paraphyses arcte connatae. Asci obovoideo-cylindrici, superne haud pachydermei, 8-spori. Sporae hyalinae, simplices, 8—12 μ. longae, 5—6 μ. latae, latius v. rarius angustius ovoideae v. ellipsoideae, utrinque rotundato-obtusae.

Habitus omnino ut in *L. vorticosa* Flk. Körb. et in *L. sarcogynoide* Körb. A priore (quae eodem loco etiam crescit) differt disco apotheciorum et lamina, a posteriore lamina et forma sporarum. A *L. Pilati* Körb. forma et minutie apotheciorum et lamina longius recedit, et a proxima *L. Baderi* Müll. Arg. in

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0537-2

Flora 1871. p. 403, cui permultis accedit, distinguenda est apotheciis madefactis atris, semper prominenter marginatis, epithecio intense tincto, olivaceo-atro, lamina quarta parte minus alta et sporis dimidio minoribus. Ad *L. leptocerameam* Anzi Symb. p. 18 etiam accedit, sed thallo et epithecio differt. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. d. Spor. d. Fl. Europ. t. 28. n. 247.

Habitat ad saxa siderolithica in summitate montis Salève.

50. *Lecidea* (sect. *Eulecidea*) *confluentula* Müll. Arg. Thallus disperso-areolatus, obscure cinereus v. subobsoletus. Apothecia $\frac{3-5}{10}$ mm. lata, sessilia, anguste prominenter marginata, extus intusque undique atra, valde opaca, mox hemisphaerico-convexa et dein immarginata, nunquam pruinosa. Lamina circ. 70 μ. alta, junior virens, evoluta hyalina, apice infra epithecium virens, epithecium viridi-atrum v. e fusco viridi-atrum; hypothecium fusco-atrum, superne fuscum; paraphyses conglutinatae, pressione separabiles, tenues, distanter articulatae; asci angusti, clavato-cylindrici. Sporae in ascis octonae, hyalinae, simplices, 10—13 μ. longae, $3^1/_2$—5 μ. latae, oblongato-ovoideae v.-ellipsoideae, utrinque obtusae.

Similis *L. vorticosae*, *sarcogynoidi* et *sidorolithicae* et insuper formam sterizam microcarpam *L. confluentis* fere omnino simulans. A duabus prioribus jam lamina longius distat, a *L. siderolithica* apotheciis tenuiter marginatis, mox convexis et immarginatis, epithecio magis viridi-atro, et sporis magis oblongatis et jam in loco natali apotheciis aterrimis turgidis nunquam pruinosis facile discernitur, et dein a *L. confluente*, praeter thallum, apotheciis multo minoribus, demum immarginatis, valde opacis, aterrimis, nunquam pruinosis et sporis majoribus ambituque latioribus nec non paraphysibus facile segregantibus differt. A *L. sarcogyniza* Nyl. in Flora 1868 p. 475 jam forma apotheciorum et ambitu sporarum recedit. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. Spor. Fl. Eur. t. 40 et 361.

Habitat in saxis siderolithicis montis Salève cum *L. siderolithica*.

51. *Lecidea* (sect. *Porpidia*) *subtrullissata* Müll. Arg. Thallus tenuissime tartareus, rimoso-areolatus, albus v. coerulescenti-albus v. demum cinerascens, areolae planae subcontiguae v. dispersae et tum depresso-gebuliformes, subpulverulentae; protothallus limitans nullus. Apothecia 1—3 mm. lata, sessilia, solitaria v. saepe gregatim confluentia, primum tota albido-v. caesio-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0538-8

pulverulento-pruinosa, crassissime alte involuto-marginata, discus junior caesio-pruinosus, mox denudatus et ater, semper planus, margo diu crassus et albido-caesio-pruinosus, dein tenuis et prominens, demum ater et cum disco opaco concolor, junior integer, mox autem valde undulato-plicatus sed non crenatus. Lamina 65—75 μ. alta, virens v. e virente hyalina, epithecium olivaceo-atrum, hypothecium atrum, parte superiore fuscum. Paraphyses facile separandae, praeter apicem modice incrassatum $1\frac{2}{3}$ μ. latae, superne densius, inferne distanter articulatae, superne leviter moniliformes, simplices v. bifidae. Asci circ. 40 μ. longi, vulgo lamina multo breviores, subpyriformes, inferne longe angustati, apice obtuso non incrassato-pachydermei. Sporae in ascis octonae, simplices, hyalinae, oblongo-ellipsoideae, utrinque rotundato-obtusae, tantum 6—8 μ. longae et 4 μ. latae.

Juxta *Porpidiam trullissatam* et *P. speiream* Krempelh. (Lichenenfl. Bay. p. 210) et *Lecideam zeoroidem* Anzi Symb. p. 17 (Exs. n. 357) locanda est. Apothecia juninora alte sessilia junioribus *Porpidiae* (quae vix ac ne vix pro sectione distincta Lecideae habenda) *trullissatae* saepe perfecte similia, sed sporae omnino diversae. *Lecidea zeorina* autem differt apotheciis magis deplanatis, aliter marginatis et magnitudine ambituque sporarum. *Lecidea annularis* Müll. Arg. in Flora 1871. p. 402 (1870. p. 164.) sporis et thallo longe distat. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. d. Spor. d. Flecht. Europ. t. 55. n. 562 quoad figuras 2 et 3 inferiores ad dextram.

Habitat ad saxa siderolithica pascuorum montis Salève.

Patellariae sect. *Rehmiopsis* Müll. Arg. Apothecia lecideina, atra, primum margine thallode accessorio dein tantum omnino proprio lecideino cincta. Sporae orculiformes. — Species unica nota, extus insigniter *Rehmiam coeruleo-albam* Krempelh. Lichenenfl. Bay. p. 211 simulans, unde nomen sectionis.

52. *Patellaria* (sect. *Rehmiopsis*) *heterodoxa* Müll. Arg. Thallus tartareus, $^3/_4$—1 mm. crassus, rimoso-areolatus, extus intusque coerulescenti-albus, protothallo distincto destitutus; areolae nonnihil undulatae v. planae, laeves, circ. 2 mm. latae. Apothecia nunc medio areolarum, nunc excentrice, nunc in rimis areolarum sita, juniora plane innata, evoluta modice emergentia, demum 1 mm. lata, lecideina, atra, nonnihil cinereo-pruinosa, intus cinerea, primum margine crassiusculo extus thallino-cinerascente s. spurie thallino, dein nigro et mox subplicato-ruguloso

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0539-6

cincta, saepe demum pro parte confluentia, et tum discum compositum plicato-rugosum simulantia. Lamina 95 μ. alta, vitreo-hyalina, apice cum epithecio aeruginoso-v. viridi-nigrescens; hypothecium latissime hyalinum, basi fuscum; paraphyses $1^1/_2$—2 μ. crassae, apice modice incrassatae, distanter articulatae, ad articulationes non constrictae, saepe haud strictae. Asci cylindrico-obovoidei, leptodermei. Sporae in ascis octonae, valde hyalinae, orculiformi-biloculares, 9—12 μ. longae (v. magis oblongatae 15 μ. usque attingentes), 5—7 μ. latae, oblongo-ovoideae v.-ellipsoideae, nunc altero latere magis acutatae, caeterum utrinque obtusae; dissepimentum 2—4 μ. latum, subinde minus distinctum, poro destitutum.

Lichen valde insignis, apothecia et habitus totus ut in *Rehmia coeruleo-alba* Krempelh. et hoc ipso jure Siegertiae calcareae valde similis sed ab utraque sporis insigniter diversus est. — Ambitus sporarum ut in Hepp Abbild. d. Spor. d. Flecht. Europ. t. 48. n. 426.

Habitat ad saxa arenacea siderolithica soli bene exposita in monte Salève.

53. *Rhizocarpon* (sect. *Diplotomma*) *chlorophaeum* Müll. Arg. — Syn. Lecidea chlorophaea Leight. Lichenflora of Great Brit. p. 328. — Diagnosi l. c. editae addenda sunt: Thallus pulvinatim conferto-v. disperso-areolatus, areolae angulosae v. sublobulatae, crassius tartareae, turgido-convexae, superficie corticato-laevigatae, siccae virentes v. albidae, madefactae fuscescenti-virentes v. plumbeo-virentes. Apothecia $\frac{3-6}{10}$ mm. lata, innato-adpressa, juvenilia distincte marginata, evoluta hemisphaerica et immarginata, intense caesio-pruinosa, demum denudata et atrofusca. Lamina hyalina, epithecium tenue, fuscum; hypothecium atro-fuscum, satis crassum; paraphyses tenues, modice conglutinatae, apice simplice v. bilobo infuscatae. Sporae in ascis octonae, 14—16 μ. longae, 7—8 μ. latae, oblongo-ovoideae v.-ellipsoideae, rectae v. leviter curvatae, fuscae, vulgo transversim 3-septatae, loculi duo intermedii v. omnes semel v. hinc inde bis longitrorsum divisi.

Lichen olim a b. et amiciss. Dr. Hepp (fide specim. archetyp. Hepp. in hb. meo) sub varietatis titulo in schedis ad Lecideam albo-atram relatus fuit, a qua tamen thallo omnino et apotheciis et hypothecio bene differt. Prima fronte Thalloidima simulat.

Pulcherrime sed hucusque paucis tantum speciminibus legi locis occultis sub saxa calcarea majora, cum Secoliga leucaspi, ad pedem montis Salève, loco

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0540-6

„Eboulis du Coin." — Antea cl. Metzler in monte Taunus legit.

54. *Rhizocarpon* (sect. *Diplotomma*) *epipolium* v. *farinosum* Müll. Arg. Thallus tenuis, margine sensim evanescens, eburneus, contiguus, superficie nonnihil inaequalis, madefactus laevigatus, siccus minute albo-pulverulentus; apothecia tantum $\frac{3-4}{10}$ mm. lata, plana v. leviter convexa, emergentia, tenuiter albido-pulveracea, citissime nuda et in thallo albo pulchre nigra; sporae 15 μ. longae, 6 μ. latae (simpliciter 4-loculares).

Thallus tenuis ut in *Diplot. albo-atro* v. *pancino* Mass. Lich. it. n. 357, v. tenuior, sed eburneus, non rimulosus et apothecia haud pruinosa. *Rhizocarpon epipolium*, sc. forma normalis, a v. farinoso differt thallo 2—3-plo crassiore, demum rimuloso, margine limitato, et apotheciis majoribus et intense caesio-pruinosis.

Habitat ad saxa alpino-calcarea ad pedem montis Salève.

55. *Sagedia* (sect. *Athopyrenia*) *minutissima* Müll. Arg. Thallus tenuissimus, fumoso-umbrinus, sensim margine evanescens, v. vix distinctus, hypophloeodes. Perithecia arciminutissima, $\frac{7-13}{100}$ mm. tantum lata, hemisphaerica, rotundato-obtusa, vertice integra, subnitida. Paraphyses indistinctae. Asci brevissimi, tantum 25 μ. longi, 12—43 μ. lati, ventricoso-ovoidei, superne angustiores, parte superiore angustata obtusa modice incrassato-pachydermei. Sporae 2-loculares, tantum 10—13 μ. longae, clavato-cylindricae, saepe paullo incurvae, latere crassiore 3—4, angustiore $1^1/_2$—$2^1/_2$ μ. tantum latae.

E minimis generis, sc. multo minor quam *Arthopyrenia atomaria*. Magnitudine similes *Verrucaria elongatula* Nyl. in Fl. 1868 p. 164 et *V. punctiformis* v. *diminuta* Nyl. l. c. simul recedunt magnitudine sporarum. Ab *Arthopyrenia stenospora* Körb. Parerga p. 390 et *A. Fraxini* Mass. Körb. l. c. dein etiam nostra differt summa minutie peritheciorum et sporarum et forma ascorum. *Arthopyrenia Persoonii* v. *proteiformis* Mass. Lich. it. exs. n. 258 A. B. C. praesertim forma ascorum et peritheciis majoribus et sporis multo minus tenellis recedit, et cum *Arthop. stenospora* Körb. conjugenda est, sc. erit *Sagedia stenospora* v. *proteiformis* Müll. Arg. — *Arthop. Persoonii* v. *Fraxini* f. *atomaria* Mass. l. c. n. 255 C. etiam differt peritheciis majoribus, sed sporas bene evolutas haud inveni, quoad perithecia autem et formam ascorum ab *A. atomaria* Müll. Arg. Principes p. 89 non differre videtur.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0541-2

Habitat in truncis junioribus Fraxini excelsioris, loco umbroso faucis „Grande Gorge" montis Salève, cum Sagedia Persoonii v. lamprocarpa, quacum subinde permixtim crescit.

56. *Sagedia* (sect. *Arthopyrenia*) *Ariae* Müll. Arg. Thallus maculari-effusus, tenuis, fumoso-nigricans, mox crassior, continuus et laevis et nigerrimus, demum minute rimulosus, intus concolor. Perithecia dimidiata, depresso-hemisphaerica, basi dilatata, aterrima, thallo inquinato-opaca, vix nisi apice late obtuso hinc subdepresso nitidula v. tota opaca et thallo concoloria, evoluta $\frac{2}{10}$ mm. lata. Nucleus cinereus, hemisphaericus. Paraphyses copiosae, fere longitudine thecarum, sed mollissimae et quasi diffluentes. Asci 50 μ. longi, medio circ. 15 μ. lati, apice obtuse angustati et valde incrassato-pachydermei v. tota parte angustata superiore solidi, medio latiores. Sporae 13—18 μ. longae, $3^1/_2$—5 μ. latae, saepius $4^1/_2$-plo longiores quam latae, hyalinae, semper 2-loculares.

Juxta *Sagediam Laburni* s. *Verrucariam Laburni* Leight. Lichenfl. of Great Brit. p. 435 (fide specim. a cl. Leight. miss.), quam etiam fere eodem loco ad truncos juniores Cytisi Laburni legi, locanda est, a qua autem thallo demum multo crassiore et nigerrimo, demum compacto et rimuloso nec furfuraceo, peritheciis concolore nec iis pallidiore, peritheciis majoribus et vertice minus acute prominentibus, magis thallo obtectis et sporis ambitu paullo angustioribus differt. Ambitus sporarum ut in *Arthopyrenia stenospora* Körb. Par. p. 390 (Hepp Abbild. Spor. Fl. Europ. t. 52. p. 454). Huic proxime accedere videtur *Verrucaria rhyponta* v. *rhypontella* Nyl. in Flora 1867 p. 374, sed haec nova nostra ex thalli natura et colore cum *Arthop. Fumagine,* non autem cum *A. rhyponta* comparari potest. Erga *S. Laburni* caeterum se habet ut *Sagedia (Arthopyrenia) Fumago* erga *Sagediam (Arthopyr.) rhypontam.*

Habitat ad ramos juniores Sorbi Ariae ad „Grande Gorge" montis Salève.

57. *Sagedia* (sect. *Arthopyrenia*) *Persoonii* v. *lamprocarpa* Müll. Arg. Thallus tenuissimus, margine sensim evanescens v. satis limitatus, ex olivaceo fumoso-umbrinus v. fumoso-nigricans, hypophloeodes, translucens. Perithecia $\frac{3-4}{20}$ mm. lata, dimidiata, depresso-hemisphaerica, truncato-obtusa v. demum vertice impresso-punctata, basi nonnihil dilatata, juniora quasi thallo inquinato-opaca, dein superne insigniter nitida. Nucleus cinereo-albidus.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0542-8

Paraphyses subindistinctae, molles. Asci circ. 50 μ. longi, cylindrico-ovoidei, superne angustati, apice incrassato-pachydermei. Sporae 15 μ. longae, 6 μ. latae, 4-v. saepius 6-loculares.

Habitu ad *S. Laburni* accedit, sed sporae sunt multo magis divisae. A proxima *A. Persoonii* v. *Juglandis* Mass. Lich. it. exs. n. 256 differt thallo magis olivaceo-obscurato et peritheciis nitidis, et ab *Arth. Persoonii* v. *Fraxini* Mass. l. c. n. 255 A. et B. iisdem characteribus et insuper sporis majoribus et magis divisis distinguitur.

Habitat ad Fraxini excelsioris truncos juniores loco umbroso ad „Grande Gorge" montis Salève.

Observatio I. Reactiones chemicas, quibus antea quodammodo fisus sum, supra hinc inde, praesertim in speciebus novis, ut hodie mos est exposui, sed inter observationes tantum nec descriptiones specificas inserui, virtutem specificam iis omnino denegans. Hae reactiones enim, ut cl. Lindsay (On chemical reaction as a specific character in Lichens, in Journ. of the Linn. Soc. vol. 11. p. 36—63, 1869) et observationes laboriosae cl. Arnoldi, quamvis aliter interpretatae (in Flora 1871. p. 54, 149, 151, 195, 1872 p. 6, p. 290. et Ausflüge p. 7. p. 1, 2, 8 p. 34, 9 p. 35 exempla drastica exstant), summopere demonstrant, pro circumscriptione specierum nullius momenti sunt, et omnes sic dictae species (et varietates) recentiores non nisi reactione chemica distinguendae sunt illegitimae. Illi characteres, ubi caeterum J +, K +, C + nullomodo stricto sensu cum negativis J —, K —, C — comparari possunt, non systematici sed physiologici ordinis sunt. Nos omnes, libenter fateor, de his reactionibus saepe pulcherrimis, sed eheu incertis, quae insuper certae esse nequeunt, hucusque graviter erravimus.

Observatio II. Spermatiorum et Stylosporarum, nec non Spermogoniorum et Pycnidum characteres nuperrime operibus splendidis cl. Lauder Lindsay (in Transact. of the Linn. Soc. vol. 28. p. 189—318, t. 8—15, 1872), sc. observationibus numerosissimis ipsis et verbis adeo vehementer et complete infirmati sunt, ut hodie nec virtus generica nec specifica iis tribui possit. In multis enim Lichenibus (vid. l. c. p. 192 et seq.) sterigmata et spermatia diversa v. in variis v. in iisdem speciminibus ejusdemque speciei, imo etsi raro in eodem fructu, v. etiam spermatia recta et curvata, v. etiam elongata et dein in articulos fracta hodie observata sunt, ut characterem certum inde neutiquam praebere possint. Inter species quoad haec organa paracarpica (me judice nullomodo sexualia) variantes multae enumeratae sunt,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0543-4

quae polymorphae et quae, his variationibus aliter interpretatis, in plures (ut hucusque a cl. Nyl. et aliis propositum est) segregari possent, sed aliae ibidem occurrunt monomorphae, ubi error de determinatione v. circumscriptione specifica sane nullo modo admitti potest et ubi polymorphismus insigniter patet. His dein organis, etiamsi alio respectu evidenter longe majoris momenti quam reactiones chemicae, virtus specifica etiam plane deesse videtur.

Diagnosen und Notizen
zu Rehm's Ascomyceten
von
Georg Winter.
(Schluss.)

70. *Niptera Polygoni* Rehm nov. spec. Cupulis gregariis, sessilibus, primo hemisphaericis, margine incurvo, crenulato, demum apertis, difformibus, repantibus, fere emarginatis, extus fuligineo-badiis, hyalino papillatis, basi pilis arachnoideis, repentibus, hyalinis cinctis, disco primo concavo, mox plano, concolore, demum expallescente, 0,4—1,10 Mill. latis. Ascis oblongo-cylindraceis, sessilibus, 8-sporis, 36—43 Mikr. long., 5—6 Mikr. crass.; paraphysibus filiformibus, simplicibus, ascos aequantibus; sporidiis breviter cylindraceis vel clavulatis, rectis, continuis, hyalinis, utrinque uniguttulatis, 7—9 Mikr. long., 2—2,5 Mikr. crass. Auf faulenden *Polygonum*-Stengeln im fürstlichen Garten zu Kaposvàr (Somogy) in Ungarn, leg. Lojka. 71. *Calloria coccinella* (Sommf.) f. *vinosella* Nyl. 72. *Calloria fusarioides* Tul. 73. a. *Durella macrospora* Fuckel, symb. myc. p. 281 (icon. spor. tab. VI. f. 22. non quadrat.). Ich finde, dass einzelne Sporen der Rehm'schen Exempl. doch mit der Fuckel'schen Beschreibung übereinstimmen; die Sporen sind übrigens in ein und derselben Cupula von sehr verschiedener Gestalt. 74. *Bulgaria inquinans* Fr. f. *tetraspora*. 75. *Hysterium Prostii* Duby. 76. *Propolis versicolor* (Fr.) Fuckel f. *alba*. 77. *Uncinula bicornis* Lev. 78. *Hypoxylon udum* Fr. 79. *Cryptovalsa ampelina* (Nitschke) Fckl. 80. *Diaporthe Vepris* (de Lacr.) Nitschke. 81. *Valsa rhodophila* Berk. et Br. 82. *Valsa salicina* (Pers.) Fr. f. *tetraspora* (Curr.). 83. *Valsa salicina* (Pers.) Fr. f. *tetraspora*. Auf Acer campestre! Anfangs machte mich der Standort dieser Form etwas misstrauisch, ob es wirklich *V. salicina* sei, doch muss ich allerdings gestehen, dass Herr Dr. Rehm völlig Recht hat, wenn er sie zu dieser Art bringt. Die auf Acer campestre vorkommende Form von *V. ambiens* (Pers.) Fr. weicht

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0544-0

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1872

Band/Volume: 55

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: Lichenum species et varietates novae 534-542